



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Antiquae Lectionis Tomus ...

In Qvo Plvra Qvam XX. Antiqua monumenta, nunquam edita

Canisius, Heinrich

Ingolstadii, 1602

X. Devs Pallii Dvplicato.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64160](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64160)

POST Dei autem honorem, quem in
cunctis factis suis glorificare iocundum habe-
bat, etiam Ecclesiæ cui præerat, gratiam & de-
corem cumulare satagebat. Vnde factum est,
quod in ipso introitu suo, cum eatenus quandam specialis
honorificentia prærogatiuam Babenbergensis Ecclesiæ, v-
sum scilicet CRVCIS & PALLII, quater in anno haberet; ille
quando ex more, p accipienda Episcopali benedictione,
Romanæ matri venerandum caput offerebat, non quidem
ex ambitione, quod illa vehementer execrari solet, sed ex
gratuita ipsius matris benignitate, quæ dignos filios hono-
rare gaudet, eodem honore duplicato vsum PALLII & CRV-
cis quatuor alijs vicib⁹, eo quod idoneus & honore dignif-
simus videretur, ad omnes successores suos transmittendū,
à Beata memoria Papa PASCHALI percepit, in sacro die
Pentecostes, ab ipso in Episcopum, sancti spiritus cooperã-
te virtute consecratus. Ex eo igitur tempore operante in se
gratia eiusdem spiritus sancti tam in sæcularibus quam in
spiritualibus causis & negocijs, consilio viguit & prudẽtia,
ita vt dignitatem sibi augeret & gratiã apud omnes quidẽ,
sed apud illos specialius, quibus non magis præesse quam
prodesse incipiebat. Itaq; multa cura ei fuit, viam & institu-
ta nosse maiorum: & quidquid honoris vel emolumentum a-
licui ordini vel professioni vel etiam dignitati, debite vel
gratuito exhibere potuit, nunquam sponte prætermisit. Ac
omnium synodalium, & legum prouincialium, vel synodaliũ
processus vel excessus sumẽ cognitos habebat, atq; ad de-
pendendum q; sentiebat, graui & grata & ornata dicẽdi facul-
tate comptus est, Vnde licet non Philosophicẽ, nec tã pro-
fundã

fundæ in literatura esset eruditionis, tamen in populari sermone, ad erudiendos in diuinis & Ecclesiasticis rebus homines, nihil eius eloquentia præstabilius, quam admiratione audientium, & ædificatione compunctorum, & peccata sua deplangentium sæpe constat probatam. Huic enim ab omnibus sui temporis Pontificibus in docendo populum naturali sermone principatus minimè negabatur; quia disertus & naturali pollens eloquio, vsu & frequentia in dicendo facilis erat, quid loco, quid tempori, quid personis competeret obseruans. Sed quia pluris est beneficere quàm benedicere, licet vtrobiq; valuerit, & vtrumq; rectoribus Ecclesiarum conueniat, tamen plerumq; contingit in altero aliquem esse propensorem. Vnde ad benefaciendum maluit esse procliuior, & in eam partem bonitatis, quæ de fonte rei familiaris emanat in proximos, quia copia sinebat, studium inflexit, multaq; in præsentem erogans, etiam posterorum, & absentium, vel nondum natorum oblitus non est. Hinc est quod illis rebus, quæ posteris etiam manere possent, maiores sumptus impendit, ut sunt, muri, pòtes, aquarum ductus, & quidquid ad multorum in longum posset durare commoditatem. Amen.

DE MONASTERIIS AB IP SO
fundatis.

II.
ep. Snr.
Vrangia.

T primitiæ quidem operum eius duorum fuit structura cœnobiorum in Episcopo HERIPOLENSI, quorum primum VRANGIA dicitur, sub patrocínio beati LAURENTII. Alterum VRA in honore beati PETRI Apostoli, his autem honesta & eleganti fabrica compositis sicut omnibus cœnobijs faciebat suis, prædia emere, siluas, & agros & præta com-